

PROLEGOMENA THEOLOGIÆ UNIVERSÆ.

I.

PRæmittetur brevis definitio Theologiæ dogmaticæ, & scholasticæ: hujus ortus, incrementa, fata, adminicula, methodus. Ubi enumerari poterunt Doctores, qui eam excoluerint, præcipui, e. g. Petavius, Simonettus, Duvalius, Tournelius, aliisque, qui hanc spartam præclarè ornâsse videbuntur. Commendabitur ejus utilitas, nec minor haec temporum, & hominum conditione necessitas.

II. Exponetur, quodnam sit (§. III. & VIII. Proæm.) Theologiæ officium. Ubi explicabitur, *Quid, & quætuplex sit conclusio Theologica? Quibus ex præmissis possit inferri? Quantæ sit, pro præmissarum varietate, certitudinis, & auctoritatis? Quid eam inter & Fidei divina actum intersit? Quandemnam opinionis Theologica fines non egrediatur?*

III. Ex adversa etiam parte explicabitur, quæ propositio sit, & dicatur Heretica, quæ erronea, quæ heresim sapiens, quæ inducens heresim, quæ heresi proxima, quæ temeraria, quæ perniciosa, periculosa, scandali plena, quæ pias aures offendens, quæ schismatica, vel seditiosa &c.

IV. Deflectetur deinde sermo ad sic dictos Locos Theologicos, sive fontes, aut sedes argumentorum, quibus tum dogmata ipsa, tum conclusiones Theologicae ex dogmatibus erutæ stabiuntur.

V. Locos autem Theologicos Doctores passim cum Melchiorre Cano hos enumerant: 1. Scripturam, 2. Traditiones, 3. Auctoritatem Ecclesiæ Catholicæ, 4. Conciliorum, præsertim ecumenicorum, 5. Ecclesiæ Romanæ, & successorum Divi Petri, 6. Ss. Patrum, 7. Doctorum Theologicorum, & Canonicorum, 8. Rationem naturalem, 9. Auctoritatem Philosophorum, & Jurisconsultorum, 10. Historiam humanaam.

Duo

Duo priores, *Verbum DEI scriptum, & traditum*, sunt totius Theologiae dogmaticae Cardines. Tertius, quartus, quintus, sextus, & septimus, succenturiantur duobus illis prioribus. Valent enim partim ad probandas Scripturas & Traditiones, partim ad cognoscendum earum sensum genuinum, quem semper Ecclesia Catholica retinuerit. Trium postremorum sius quoque usus est, ut mox constabit.

VI. Loci hi recensebuntur quidem in Prolegomenis: prioris tamen uberior explicatio relinquetur Professori S. Scripturæ. Secundi, tertii, quarti, & quinti, expositio plenior remittetur ad Tractatum de Fide. Sexti usus rectus explicabitur in Prolegomenis, poteritque recenseri brevis Ss. Patrum præcipuorum catalogus, quo quisque saeculo floruerit, quibuscum ei potissimum res fuerit, quâ in re præcelluerint singuli, quæ opera censeantur nonnullis Patribus supposita, quid (§. XV. *Proæm.*) observandum, dum eorum testimonia producuntur.

VII. Septimus, ab *Auctoritate Doctorum*, accurate etiam in Prolegomenis exponetur, permagni enim refert scire, quâ sint Doctori Theologiae, & Ss. Canonum, auctoritate, & quantum tribuendum sit communis eorum consensui. Monebuntur itidem Auditores, quinam ex his Doctoribus meliores feligendi, quinam cautè legendi, qui vitandi scopuli, ne quis, tot aliorum exemplo, in doctrinas non sanas, & censurâ dignas incidat.

VIII. In octavo loco, à *ratione naturali*, ea quidem cautio adhibenda monebitur, ut non videamur illi soli dogmata Fidei superstruere. Hæc enim credenda propter solius verbi divini auctoritatem, cui captivum se tradere intellectus debet, etiam præter, & supra rationis suæ captum. Nihilominus Theologis inter Theologos necessaria quoque est *Ratio*, quæ est disceptationis cuiusque fons, & anima. Valet quippe ratiocinatio sana, & severa, partim ad ostendendam, clariisque ob oculos ponendam Verbi divini vim, partim ad conclusiones ex eo eliciendas, partim ad absurdas hæreticorum opiniones validius contundendas.

Ut

Ute. g. opinio de erepto humanæ vo'un'ati in rebus ad salutem pertinentibus, & ad peccata vitanda, libero arbitrio, validissimè ex ratione etiam naturali impugnatur.

IX. Nonus locus, ab auctoritate Philosophorum &c. multum habebit ad convincendum ponderis, si notet hinc inde Theologia dogmatica, quid ipsimet usque adeò gentiles Philosophi, e. g. de Deo rerum omnium auctore, & gubernatore, de ejus attributis, de virtutibus, vitiis, officiis hominis; de animarum immortalitate, impiorum post hanc vitam pœnis, piorum præmiis, aliisque id genus rebus senserint. Quo loco nuper (Anno 1747.) felicissimè usus est quidam è Divi Benedicti Familia scriptor in Tomulis 4. sic inscriptis: *Le Libertinage combattu par le Temoignage des Autreurs profanes.*

X. Decimus ab Historia humana, si rectè, & sobriâ cum crisi adhibetur, mirificè ornat Theologum, multumque valet ad convincendos animos. Nec designatus est magnus Augustinus in *Libris de Civitate Dei*, ex ipsa Græcorum, & Romanorum Historiæ arma aduersus ethnicos petere. In Conciliis quoque œcumenicis vix ullus unquam cum dignitate comparuit, qui historiarum rudis fuerit.

XI. Quæstiones hæ prolegomenæ: *An Theologia sit virtus intellectus? an habitus supernus? an scientia, vel sapientia? an dignior aliis scientiis? an subalternetur scientia Dei, & beatorum? Theoreticæ, an practica? aliaque ejus generis, poterunt sine Rei Catholice detimento præteriri.*

XII. Prolegomena singulis annis sub initium explicabuntur, hoc anno ab uno, altero ab altero Professore: ne recens accedentes ad scholam Theologicam Neophyti non delibatis primis principiis mox ad reliqua ire per saltum cogantur. Ne verò dictatis Prolegomenis aliarum Tractationum cursus retardetur, explicari poterunt ex Balthasari Francolini Tyrocinio Theologico, vocatis etiam, si videbitur, in subsidium *Præcognitis Juris Canonici*, à Patre Zech conscriptis.

TRA-

Dogm
phi
lis crea
cellum
gument
scientis E
quamvi
rumfut
Arg
quam
faciat
buntur
mentis
macia
ad conv
proband
Dogm
posse, sub
injustitia,
Quæ the
compte es
erit confi
bedam,